


Johann Christian Klotz

**De Optima Ratione Veritatem Religionis Christianae Demonstrandi Disserit,
Simulque Viro ... Domino D. Valentino Ernesto Loeschero ... Celeberrimo : Dom. I.
Adventus A. R. S. MDCCXXXVIII. Iubilaeum Suum Superintendentale Celebranti**


...

Lipsiae: Stopffel, [1748]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842140476>

Druck Freier  Zugang





289

a. B.
48. b. 8.

Ja-1092 (4.)

22

21

20


6

0

31

32

12



22

21


20

16

31

32

33



9.
DE
OPTIMA RATIONE VERITATEM
RELIGIONIS CHRISTIANAE
DEMONSTRANDI
DISSERIT,

SIMVLQVE
V I R O
MAGNIFICO, REVERENDISSIMO,
AMPLISSIMO,
D O M I N O
D. VALENTINO ERNESTO
LOESCHERO

CONSILIARIO ECCLESIASTICO, SACRORVM
DRESENENSIVM ANTISTITI, THEOLOGO MVLTIS
ANTIQVIS, SANCTISSIMISQVE MERITIS
CELEBERRIMO

DOM. I. ADVENTVS A. R. S. CIODCCCXXXVIII.

IVBILAEVM SVVM SVPERINTENDENTIALE


CELEBRANTI

SVO, SVORVMQVE PASTORVM, NOMINE DECENTISSIME

GRATVLATVR

M. IOANNES CHRISTIANVS KLOZIVS

PASTOR ET SVPERINTENDENS DIOECESIOS
BISCHOFFSVVERDENSIS.



L I P S I A E
EX OFFICINA STOPPFELIANA.

OPTIMA RATIONE VERITATEM

RELIGIONIS CHRISTIANAE

DEMONSTRANDI

MODUS

SINVLQVE

V I R O

MAGNITICO REVERENDISSIMO

ACERISSIMO

D O M I N O

D. VALENTINO ERNESTO

LOESCHNERO

CONSILIARIO ECCLESIASTICO SACRORVM

DECRETORVM APOSTOLICORVM

CAUSARVM SACRARVM

CONFERENTIAE

ROMAE APOSTOLICAE SEDIS

IN BIBLIOTHECA SVB REGIA

CHERVENI

NOBIS SVBSCRIBENDI

IN LOANNAE THEOLOGICAE


PASTORIS ET THEOLOGICI

DISCRETISSIMO

PROFESSORI

LIBRIS

EX OFFICINA STORPIELLANA



DE
OPTIMA RATIONE VERITATEM
RELIGIONIS CHRISTIANAE
DEMONSTRANDI.



§. I.

Variae diversorum extant demonstrationes, *De methodo
hypothetica.*
quibus viri, doctrina et pietate celebres, veritatem religionis Christianae Atheos, Deistas, Paganos, Iudaeos et Muhammedanos, si qui alii dantur infideles, quovis tempore et loco edocere studuerunt, quas si ordine enumerare, vt fert institutum, et ex omnibus optimam eligere velimus, primam et antiquissimam nominare licebit HYPOTHETICAM , quae Philosophis Graeca appellatione dicitur κατ' ἀνθρώπων , h. e. eiusmodi evictio, qua, ipsorum aduersariorum principis, regulis, fundamentis, placitis, testimoniis, sententiis, aut concessis, suffulti, religionis paganae falsitatem,

A 2

Chri-

Christianae veritatem, asseruerunt, immo etiam huius mysteria fere omnia in veterum Philosophorum scriptis sibi reperisse visi sunt.

§. II.

Hac via potissimum inceserunt veteres sanctioris coetus doctores, patres vulgo dicti, nominatim Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athenagoras, Theodoretus, Eusebius, et e Latinis Tertullianus, Augustinus, alii, pro doctrina et religione sua contra paganos disputantes. Cum enim dari aliquod Dei numen, ab hominibus colendum, vtrinque non ambigeretur, ipsis Philosophorum Graecorum, rectius de Deo sentientium, placitis ac testimoniis demonstrarunt, aduersariorum neque opiniones de Diis maiestate diuina dignas, neque caerimonias ad Deum placandum, aut hominum delicta expianda, idoneas esse. Quid? quod eo progressi sunt, vt ipsa religionis nostrae mysteria in Pythagorae, Orphei, Homeri, Hermetis Trismegisti, et similibus aliorum scriptis et dogmatibus contineri, asseuerarent. Vnus Plato pluribus admirationem excitauit, quod cum Mose in tradendis mundi initiis ita consentiat, vt Moses Atticissans a Numenio Pythagoraeo salutetur, docente Clemente Alexandrino, aut *ζηλωτῆς Μωϋσεως πάντα ἄριτος*, immo *ἔξ Ἑβραίων Φιλόσοφος*, quasi totus, quantus quantus, a Iudaeis efformatus esset Plato. Ex huius libris Augustinus sanctam Triada ita demonstrare voluit. Agnouit ille doctor paganus tria, τὸ ἀγαθόν, λόγον, καὶ πνεῦμα. Haec, inquit Augustinus, vocabula designare patrem, qui sit excellentior bonus, filium, & Spiritum Sanctum. Sed quis haec diuinarit? Puduuit eum successu temporis tam religiose de ethnicis statuisse, reuocauitque suam sententiam praepostere latam. Obuersatur etiam hic animo nostro illa Virgilio

Strom. L. I.

p. 251.

Lib. II. Paed.

Lib. I. Strom.

p. 200.

gilli Ecloga, in qua vaticinium de Christo nascendo poë- Eccl. IV. v. 6. 7.
tam cecinisse, multi putarunt, speciatim verba illa:

Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.

Iam noua progenies coelo demittitur alto.

Primus, ni fallor, qui hunc locum ad Christum accom-
modauit, est Constantinus, vel potius, sub eius nomine,
Eusebius, qui, nihil verius conuenientiusque Seruatoris
virtuti dici potuisse, affirmat. Huius vestigijs institit poë- Conf. Dieteri-
ta quidam antiquus, dum Augustum sic loquentem sistit: cus in proleg.
Ant. Bibl. p. 21.

Ein Kind uf Erdin

Geböhren solte werdin.

Das uns macht von Sünden frei.

Nun steht uff Heydin, Virgili,

Den Lüten sage nun zur Hand,

Was dir von Christo ist bekandt.

At enim, totam hanc eclogam in honorem Pollionis, aut
Quirini cuiusdam, decantatam fuisse, demonstrat Basna-
gius. Saltem hoc certum est, communem in Romano or- in Annal. T. I.
be sententiam fuisse de rege magno expectando, de qua P. 152.
Suetonius ait: Percrebuerat toto oriente vetus et constans in vita Vespas-
opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudaea profecti rerum fiani c. IV.

§. III.

Horum exemplum citeriori aeuo etiam iuniores qui-
dam imitati sunt, Liuius Galandes, Mutius Panfa, Paul-
lus Sallichius, Philippus Mornaes, Gallus, cuius cuius ad-
iungatur Petrus Daniel Huetius, vberissima vir scientia,
quibus accedat Barckerus, Anglus, et quem primo loco
nominare debuissim, Augustinus Steuchus Eugubinus,
tanto suscepti negotii amore captus, vt, lacrymas prae
gaudio non semel se profudisse, testetur, cum praecipua
religionis Christianae mysteria in antiquissimis Aegyptiorum

Conc. fun.
b. Ioh. Wellero
habita Dres-
dae 1746. p. 34.

in orig. Iud.
p. 138.

in exercit. de
stoica mundi
exustione th.
15. 19.

Ianus de tri-
nitate Plato-
nismi vere et
falso suspecta
p. 5.

et Graecorum Philosophorum, aut Poëtarum, monumentis iisdem fere verbis ac sententiis expressa reperiret. Huc quoque quodammodo referri potest Salomon Glassius, ob plurima in ecclesiam nostram merita satis illustris, quem nimium pronum fuisse ad gentiliū Graecorum et Romanorum dictiones, sententiasque, ita applicandas, quasi ipsum Spiritus Sancti sensum exprimerent, testatur D. V. E. Loeffcherus. Negari quidem non potest, multa apud Philosophos, inprimis Platonem, offendi, quae mirifice cum sacris litteris conspirant, sed, si recte examinentur, intelligimus, umbram apparuisse illis, solem nobis extitisse. Habent scriptores hi profani veritatem, sed iniquitate deventam, ut Apostolus ait, veritatem, cui aliquid falsi inest. Ideoque facile intelligimus, illos sciuisse aliquid, sed fando haec acceperunt partim a Iudaeis ipsis, ut ostendit Theophilus Galeus, Anglus; partim, quod verosimilius, ab Aegyptiis, ut praeclare ostendit Iamblichus. Interim nimis dura et acerba in hos viros, praecipue Huetium, videtur sententia Iohannis Tolandi, qui fabulares has vocat demonstrationes. Mitius, pro suo, quo ceteros superabat, iudicio, et prudentia, celeberrimus suo tempore Polyhistor, Iacobus Thomaeus, monet, eorum studium perpetuam Theologiae Christianae, et Philosophiae gentiliū, concordantiam ostendendi, immo confundendi, nec olim religioni Christianae multum profuisse, et hodie propemodum inutile esse. Ecquis enim historiae adeo est ignarus, qui nesciat, quos in errores Origenes, Clemens Alexandrinus, alique, inciderint, dum dogmata et placita, quibus fuerunt innutriti, cum religione Christiana confundebant, quod si calamitatem fundi Christianorum dixeris, non errabis.

§. IV.

Itaque tota illa methodus, vt caute adhibenda, ita ad aliorum errores destruendos, quam ad veritatem solide asserendam commodior erit. Audiamus Clementem, qui ita commentatus est: *Ἐι μὲν μὴ καταλαμβάνει ἡ ἑλληνικὴ φιλοσοφία τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας, ἔτι δὲ ἐξαθενεῖ πράττειν τὰς κυριακὰς ἐντολάς, ἀλλ' ἐνγε προσκατασκευάζει τὴν ἑδὸν τῆ βασιλικῆς αὐτῆ διδασκαλίας.* Fuerit ergo olim illi locus non vltimus apud paganos veteres, principiorum talium tenaces, hodie, vbi nullum facile religionis Christianae hostem, in Platonis aut Homeri verba iurantem, aut Hermetis, Sibyllarum, quibus diuinam plane auctoritatem attribuerunt Iustinus Martyr, et Clemens Alexandrinus, aut alia huiusmodi scripta pro diuinis amplectentem, reperias, vt Philosophorum paganorum placita cum doctrina Christiana potius in verbis, quam re ipsa, consentiant, non multum vtilitatis ex testimoniis illorum sperare possumus, nisi hoc vnum fortasse, quod, veritatem, diuinitus acceptam, antiquissimam esse, et tenuia quaedam sui vestigia et semina, vt veteres Christianae religionis antistites loquuntur, per traditionem propagata, in medio fabularum, errorumque, tenebris reliquiffe, ostendunt. Eo referenda puto verba Iustini Martyris. *Moses, ait ille, antiquior est omnibus Graecorum scriptoribus, et quicquid de immortalitate animorum, de poenis inferorum, de rebus coelestibus, aut id genus aliis, Philosophi et Poetae prodiderunt, a Prophetis occasionem ceperunt, tam sentiendi, quam eloquendi, talia. Sic fit, vt his omnibus inesse videantur aliqua veritatis semina.* Haec semina veritatis, tanquam aurum ex stercore, colligere voluerunt venerandi Patres, vt solent boni oeconomi, at enim plus saepe inuenerunt, aut multo studio conquisiuerunt, quam ipsi gentiles in scriptis suis seuerunt.

§. V.

ad Coloss. II. 8.
p. 227.

in Orat. Paraen. ad gentes
Strom. L. VI.
p. 604.

Apol. 2. pro Christianis
p. 171.

§. V.

Quam ob rem sancti illi antiftites facile a nobis veniam impetrant, faciem istorum, quibus viuebant, temporum accurate contemplantibus. Nonnulli enim gentilium ingenii erant mansueti, flexilis, et mitioris, quibus tantummodo erat demonstrandum, parum discriminis intercedere inter Platoniam et Christianam doctrinam, quo fundamento constituto, eos statim in suas partes pertrahebant. Alii superbia efferebantur, qui Christianorum principia infusa et perversa traducebant, alii demum calumniis studebant. His ostendebant, plura absurda inesse gentilium, quam Christianorum, scriptis, in nonnullis tamen non longe distare, et sic plurima in conuenientia Christianae religionis, et Philosophiae paganae, subsidia quaerebant.

§. VI.

Si quis tamen a nobis exquirat, cuius auctoritate commoti veteres doctores tantum tribuerint huic methodo conuertendi paganos, illum sententiam nostram, quoad coniectura assequi potuimus, nolumus celare. Meminerunt forte diui Pauli exemplum, qui, ad Athenienses verba faciens, prouocabat ad aram, Deo ignoto dicatam. *Hunc, ait, quem nescientes coluistis huc dum, vobis annuncio.* De qua inscriptione, ab ipso Paulo correctâ, et singulari numero enunciata, quae plurali incisa erat, multa ab eruditis fuerunt disputata. In eadem oratione ad ipsos poetas, Aratum praecipue, animum referebat suum, et, si non realem, verbalem saltem consensum testatus, ait, nos esse de familia ipsius Dei. Sed enim postea iusto latius rem extenderunt, immo plane peruerterunt.

§. VII.

*De methodo
Philosophica.*

Simili fere instituto alii mysteria religionis non quidem ex philosophorum, aut scriptorum profanorum, testimonio-

simoniis, sed ex ipsis naturae principiis deducere satagunt, id quod potissimum in demonstrando mysterio sacro sanctae Triados, praeter Ioh. Scotum, et alios quosdam scholasticos, Raymundus Lullus, Ludouicus Viues, Philippus Mornaeus, libris alioquin non contemnendis de veritate religionis Christianae, tentarunt. H. A. Roëllius, rationem, docet, esse fundamentum religionis, eamque diiudicare revelationis diuinitatem, etiam quod ad mysteria attinet. *Πρώτον ψεύδος* huius sententiae est thesis, religionem Christianam nihil, nisi legem naturae, praescribere, quam monstruosam opinionem defendit Autor Rationis et fidei. Nouissime in eo ingenii vires in primis periclitatus est Petrus Poiretus, qui, ex hypothesi sua de tribus animi facultatibus, mathematica prorsus demonstratione illud sibi probasse, videtur. Keckermannus quidem, et alii, varias icones atque imagines ex rebus creatis in medium producunt, persuasi, ex illis sanctissimam Triada iudicari. Alii oculos nostros ad solem dirigere nos iubent, quem ex se gignere radium, et ab utroque procedere lumen, vrgent, ita tamen, vt in his rebus vna eademque lux sit. Alii nos ablegant ad fontem, ex quo oriatur fluuius, et ab utroque riuus, vbi tamen vna fluat aqua. Alii considerandam nobis proponunt arborem, ex cuius radice exsurgat truncus, et ex utroque ramus, cum tamen vna tantum sit arbor. Ast, vti similitudinum nomine haec omnia tantum insigniuntur, ita nihil aliud evincunt, quam vt rem non probent, sed probatam tantum illustrent, adeoque demonstrationem inde frustra expectaueris. Nec enim quendam inter homines reperias, qui, nisi ad cultum sanctiorem educatus, aut verbo Dei, hominibus nunciato, informatus sit, tres in Triade esse personas, inde concludere possit.

B

fit.

9.
22
21.
20.
1.
6.
10.
31.
32.
12.

in Diss. de religione naturali.

fit. Etenim nemo nouit, quae in Deo sunt, nisi Spiritus Dei, nemo cognoscit filium, nisi pater, et nemo cognouit patrem, nisi filius, et cui filius hoc reuelat.

§. VIII.

Ex his satis clare patere, arbitror, qui fons, quae origo sit dicenda, vnde tremendae huius de Deo Triuno doctrinae cognitio hauriatur, nihil quippe aliud, nisi diuinum oraculum. Cum itaque summum hoc de Triade caput soli diuinae patefactioni acceptum feratur, nullo plane modo potest fieri, vt naturalis intellectus virtute sua tantae sublimitatis apicem et fastigium Numen perfectae cognoscendi adscendat. Vix instar guttae, cum profundo comparatae oceano, omnis nostra est intelligentia et sapientia, si ad diuinam sapientiam referas. Quanta, quae-
so, rerum deprehenditur copia, quantusque numerus, quas sensibus quidem externis percipere licet, sed quo minus in interiores earum causas et recessus accuratius penetrare, et quasi nos abdere, valeamus, nimia cognitionis nostrae impedit imperfectio. Quod si vero in huiusmodi humanis rebus tantam experiamur imbecillitatem rationis nostrae, longe maiorem in rebus, quae transcendunt mentem, esse ignorantiam, quis negabit?

§. IX.

Nemo non, si recte meminerimus, faciet cum Simo-
nide, qui rogatus ab Hierone, Syracusarum tyranno, quid Deus sit, primo diem, deinde biduum, demum quadriduum, ad deliberandum poscebat, tandemque, quo acrius mentem intenderet, eo minus se rem intelligere, fatebatur. Nec vlla admiratione dignum hoc cuiquam videatur,

deatur, cum ipsum Iehouam altissimum fidei seruo, Mofi, faciem suam videre desideranti, hoc dixisse, litteris sacris sit proditum. Idem hoc diuo Augustino fuisse ostensum, ex sequenti, quae de eo circumfertur, patet narratione. Ille scilicet, Triadis sanctissimae mysterium intenta animi cogitatione contemplatus, cum in littore maris puerulum, effossae scrobi marinam aquam infundentem, videret, et, quid sibi vellet, rogans, respondentem audiret, mare se exhaurire velle, ipse vero, hoc minime fieri posse, assereret, tunc puer dixit: multo vero facilius scrobis ista mare capiat, quam mens tua diuinitatis oceanum comprehendat; dictoque citius euauit.

§. X.

Haec dum perpendimus, vanum et in cassum esse omnem laborem, quem ratio humana ad accuratam de Dei essentia acquirendam notitiam suscipit, quis non intelligit? Quo minus vero humanae opis est a priori, vt cum Philosophis loquar, non dicam personarum in vna Dei essentia Trinitatem, sed tantum multitudinem, firmis rationibus demonstrare, eo minus fieri potest a posteriori, seu ex effectis, vt stabile conficiatur argumentum, quo venerandum Trinitatis mysterium possit adstrui. Frustra igitur hanc methodum adhiberi, ex haecenus dictis satis patebit.

§. XI.

Contraria huic et longe diuersa est methodus LATI-
TVDINARIORVM, quos vocant, in Britannia potissimum
superiori seculo exorta et ad hanc vsque diem propagata,
cuius auctores non rationem ad mysteria, sed mysteria ad
rationem, accommodant, et, vt religioni Christianae apud
incredulos fidem faciant, ita credendorum numerum re-

*De methodo
rationali La-
titudinario-
rum.*

fringunt, vt nihil fere credendum relinquunt, quod non ex ipfo naturae lumine cognoscatur. Immo myſteria dari aperte negant Io. Tolandus, Arthurus Burius, et Carolus Bluntius. Neque alia ſententia eſt Herm. Deuſingio.

in reuelat.
Trinitatis.

§. XII.

Princeps tamen huius haereſeos eſt Thomas Hobbeſius, non niſi vnicum fidei Chriſtianae caput, quod Ieſus fit Chriſtus, ſiue Meſſias, creditu neceſſarium arbitratus. Eum, praeter Moſen Amyraldum, et Herbertum de Cherbourg, et totum Naturaliſtarum gregem, non ita longo temporis interuallo ſecutus eſt Io. Lockius, qui ſingulari libro, vitando potius, quam commendando, religionem Chriſtianam religioni rationali conformem demonſtrare voluit; et nouiſſime, vt alios praterem, Io. Clericus. Peruerterunt hi omnes, vt cum ſcholis rotunde dicamus, normam et normatum.

§. XIII.

Scilicet homines illi ſpecioſo titulo doctrinam Chriſtianam, vt valde rationalem, nobis propinant, et argumentis moralibus perſuadere ſtudent, depromtis ab euidentia factorum, quae in ſacris litteris occurrunt, e ſalubritate euangelii, a praeceptionum, quae huius formam conſtituunt, indole et neceſſitate, quarum ſumma eſt amor in Deum et ſocium. Cetera, quae de Deo triuno, de Chriſto, humanam naturam induente, de medijs ad ſalutem ducentibus, de ſanctiſſimo lauacro, de ſalutari, quo noxas expiamus, epulo, de iuſtificatione, de reditu in vitam, de die cenſorio vltimo, et horum ſimilibus, in ſacro codice traduntur, aut multo aliter, quam vulgo fieri ſoleat, explicanda, aut ad inanes ſpeculationes, ſciendique voluptates adducenda, aut,
cum

cum liberales videri volunt, tantum adminicula quaedam Christianismi esse, contendunt. At hoc quidem proderet est et destruere doctrinam Christianam, non probare et adstruere. Si enim nihil, nisi rationi perspicuum, credere fas est, cur Christus, a carne et sanguine sui cognitionem reuelari posse, negasset? Cur Apostolus, silentio rationi, nihil intelligenti, imposito, mera fidei submissione res spirituales recipere iubet? Cur *μυστήριον δημολογημένως μέγα* celebrat? Cur ea, ut ad salutem necessaria, commendat, quae sapientes huius seculi non cognouerunt, quae oculus non vidit, auris non audiuit, et quae homini sibi relicto in mentem nunquam venerunt?

§. XIV.

Melior mens et sanius consilium esse videtur eorum, qui argumentis HISTORICO-MORALIBVS ad corroborandam religionis Christianae veritatem vtuntur, quod felici, praeter ceteros, labore fecerunt Blasius Pascalius, Gallus, Iacobus Abbadie, et Franciscus Gastrellus, quos omnes vnus superauit Hugo Grotius, Belga multo acutissimus.

§. XV.

Haec methodus duplici nititur principio, altero historico, altero morali. Historicum principium est: Quicquid homines vnanimi consensu, et quidem coaeui, affirmant, illud verum sit, oportet. Morale autem suadet illud, et praesupponit quasi, non omnes homines esse peruersos, aut omnem veritatem eiurasse. Datur videlicet rerum, quas neque vidimus vnquam, neque sensu nostro coram vsurpauimus, certitudo quaedam, historico-moralis dicta, communibus gentium testimoniis nixa, de qua non minus, ac de ipsa demonstratione mathematica, du-

bitare licet. Eam iam suo tempore probavit Augustinus, quando, se Romam et Constantinopolim aequae certo credere, existimat, etsi ultimam non viderit. Ita nos hodie, Cyrum aliquem, et Alexandrum M. et Iul. Caesarem reges et imperatores potentissimos existisse, aliorum fide tam certum exploratumque habemus, ut ludibrium nobis praerberet, si quis illud in dubium vocare ausit. Atqui pari fide constat, et, consentientibus ipsorum hostium nominis Christiani, Iudaeorum puta et paganorum, scriptorum suffragiis, probatum est, vixisse ante MDCC. circiter annos, sub Imperatore Tiberio, in Iudaea Iesum Nazarenum, doctorem multis miraculis insignem, a Pontio Pilato cruci affixum, qui nihilo secius continuo post ignominiosam hanc necem a tot millibus hominum, etiam sapientissimorum, nulla lucri, aut honoris, aut voluptatis, spe illectorum, tanta religione ac constantia cultus est, ut plurimi mortem eius causa appetere et gravissimos cruciatus subire non dubitauerint.

§. XVI.

Et, hoc quidem moratissimae quaeque cultissimaeque gentes primum et praecipuum fecisse, animo advertimus, quod sane nullo modo fieri potuisset, nisi post diligentem inquisitionem, qualis viros prudentes in re maximi momenti decet, famam de miraculis Christi, mortalis hominis conditionem supergressis, atque adeo diuina virtute patris, quibus doctrinam suam confirmavit, certo fundamento niti, plane comperissent, et, quod maximum est, ipsum Christi in vitam reditum, quem omnium locorum et temporum Christiani praecipuum fidei suae fundamentum professi sunt, a testibus omni exceptione maioribus accepissent. Quid? quod in ipsos XII. viros, primos Evangelii

angelii per vniuersum terrarum orbem praecones, nulla fraudis suspicio cadit, qui viri boni ab ipsis aduersariis iudicabantur, et, cum nemo gratis malus esse soleat, ex doctrinae Christianae praedicatione non modo nullam prorsus tueri spem, sed et labores, famem, sitim, verbera, carceres, et praesentissimum mortis periculum sibi propositum cernebant, quae cuncta Grotius fusius egregie demonstrat.

§. XVII.

Iuuabit vnicum addi argumentum maxime stringens. Sic autem arguo: Producta est doctrina Euangelica a dictis vel per miracula, vel sine miraculis. Si per miracula, cessat disputatio nostra; si sine miraculis, maximum illud est miraculum, quod ad hodiernum vsque diem duret, nec per longa temporum interualla sit extincta, cum omnes aliae sectae Phariseorum, Essaeorum, Sadducaeorum, euanuerint. His atque horum similibus argumentis praecipuas doctrinae Euangelicae partes satis probabiles reddi, hominemque gentilem ad coelestem doctrinam praeparari, non equidem inficior, sed, vt ad agnoscendam totius religionis Christianae veritatem homines adducantur, non sufficit. Persuadet et allicit haec docendi ratio discendi cupidum, non conuincit.

§. XVIII.

Haecenus igitur varias demonstrandae veritatis Christianae rationes percensuimus, quas sicuti simpliciter non reiiicimus, habent enim singulae pondus suum, grauius aliae, aliae leuius, ita in his tuto subsistere non possumus, sed, rem ex omni parte expedientes, intelligimus, in subsidium vocandum esse diuinum testimonium, per scripturam nobiscum communicatum, quod omnem defectum supplet,

*De methodo
paedagogica.*

supplet, praestatque, ut fide certa atque diuina religionis Christianae veritatem credamus. Hanc, ceteris omnibus facile antefendam, methodum PAEDAGOGICAM vocamus, et volumus, quae a notitia Dei naturali, potissimum externa, de creatione nimirum et prouidentia, ad reuelationem ducit, et postquam ex illa Dei bonitatem, sapientiam, et omnipotentiam, vna cum eius colendi atque placandi necessitate, demonstrauit, ex hac reuelatione voluntatem Dei de modo et ratione eius colendi, placandique, et aeternam salutem consequendi, inuestigare iubet.

§. XIX.

Denominationis rationem si spectamus, intelligimus, ideo dici hanc methodum paedagogicam, quandoquidem nos, tanquam fidelis magistra, ad ipsam reuelationem et scripturam sacram comiter manu ducit, quemadmodum de lege praedicatur, quod sit paedagogus ad Christum, quia, Gal. III. 24. 25. sicut pueri a paedagogis ad bonum perducuntur docendo, reprehendendo, corrigendo, castigando, ita lex etiam homines ad Christum suis ducit atque compellit minis, ut, quod legi satisfacere nequeant, de mediatore quaerendo sollicitos reddat. Paedagogia haec igitur duo inuoluit, 1.) naturale quid 2.) supernaturale et spirituale. Naturale praecedit, sed, quia imperfectione laborat, ducit nos ad spirituale, id est, ad eiusmodi medium, quod conuersioni nostrae sufficiens et congruum est. Inde ex naturali informatione fit supernaturalis. Equidem nusquam fere illustriora, quam in communi illa rerum omnium administratione, diuini amoris erga genus humanum indicia relucet, qui autem, fidem ex illa concipi, qui, ad salutem illa perueniri posse, contendunt, in eo magnopere falluntur.

tur. Ipsae illae, hominum mentibus de Deo ingenerate, notitiae, illa, ubique in natura obuia, diuinae bonitatis vestigia, non tam afferre salutem homini, quam ad inuestigandam illam, in solius Ecclesiae quasi repositam sinu, ducere eundem debent. Nec vltra hanc manu quasi ductio- nem extendi naturalem Dei cognitionem oportere, vel il- lud argumento est, quod ideo tantum eam vel implanta- tam hominum animis, vel contemplatione rerum condita- rum acquisitam, pronunciat Apostolus, vt, qui ad vbe- riorum de salute sua inquirendam notitiam ea non vtantur, in omne aeuum inexcusabiles haberentur.

Rappolti Orat.
inaug. contra
Natural. Opp.
p. 1390.

§. XX.

Hanc igitur methodum esse omnium optimam, faci- le patet. Est enim illa, qua Prophetiae in V. et Apostoli in N. T. gentes, veri Dei ignaras, ad eius agnitionem et legitimum cultum perduxerunt. Exempli loco nobis sit Paulus, gentium doctor, Atheniensibus, hominibus mi- nime barbaris, aut stupidis, veritatem religionis Christia- nae persuadens. Hic principio omnium fundamenti loco, vt certum exploratumque, ponit, quod sapientissimi qui- que inter ipsos Philosophos Graecos agnoscebant, *Deum* fecisse mundum et omnia, quae in eo sunt; Huic sententiae concessae superstruit aliam, quae quasi per gradum altius adscendit, sublimiorem et excellentiorem, monstrando, potentiam et maiestatem Deo multo maiorem, quam mens humana concipere possit, esse tribuendam, eam scilicet, quae nullo loco includi, aut finibus nullis circumscribi de- beat. Hinc reliqua annectit verba orationi, *Deus*, in- quiens, *qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, cum coeli et terrae sit Dominus, non in manu factis templis habi- tat*, h. e. eorum limitibus circumscribitur. A creatione pergit ad Dei prouidentiam, qua ipse dat omnibus vitam et

Aet. XVII

24. 199

bali-

*halitum, et fecit ex vno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super vniuersam faciem terrae, per ipsum enim viuimus, mouemur, et sumus. Et, hanc Dei prouidentiam adeo manifestam et obuiam omnibus esse, ostendit, ut quotidie in sensus incurrat, et manibus quasi palpari, siue contingi, possit. Sed quam utilitatem affert haec diuinarum rerum cogitatio? Respondet conuenientissime Apostolus v. 27. ζητεῖν τὸν κβγιον, ut quaerant Dominum: Habes usum paedagogicum. Cum igitur Deum illum O. M. sapientissimum et iustissimum, a quo toti pendemus, coli, ac, si peccatis nostris offensus fuerit, placari, necesse sit, ratio vero istius cultus naturam ignoret, hanc porro Apostolus ex reuelatione discere iubet: nunc, inquit, annunciat hominibus, ut omnes ubique resipiscant, eo, quod statuit diem, quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, per virum, in quo id decreuit, praebita omnibus fide, dum illum excitauit ex mortuis. Haud aliter in V. T. Ionas, vir Dei, Ebraeis reuelati, notitiam cum gentibus communicaturus, a creatione et prouidentia diuina orditur. Ebraeus, inquit, ego sum, et Iehouam, regem coelorum colo, qui fecit mare et aridum. Cum igitur veri huius Dei reuelationem viri illi, euidenti miraculo comprobata, agnouissent, timuerunt eum, et sacrificarunt Iehouae et vota vouerunt. Deus etiam ipse hanc methodum gentes ad verum Deum perducendi praescripsit, quando apud Ieremiam, sic, inquit, dicetis ipsis: *Hi, qui coelum et terram non fecerunt, pereant de terra. Iehoua est conditor terrae, per virtutem suam praeparans orbem; per sapientiam suam extendit coelos, ascendere facit vapores a fine terrae, fulgura imbri miscet, educitque ventum e thesauris suis. Habes potentiam, sapientiam et bonitatem Dei, ex creatione et prouidentia demonstratam, cum qua demon-**

stratio-

Ion. I. 9. 16.

Ier. X. II. 19.

stratione reuelationem verbi coniungens, Propheta addit:
Iehouah Zebaoth nomen ipse.

Ier. X. 16.

§. XXI.

Commendat sese haec methodus, vt diuina auctori-
tate, sic salutari efficacia, nempe conuersione hominum
et conuictione irrefragabili. Si Pauli paedagogiam repe-
tere volumus, testis est sacer scriptor eodem loco, alios AA. XVII.
redditos esse attonitos et attentos, fidemque semiplenam 32. et 34.
praebuisse, alios magna fiducia credidisse, reliquos pro-
pter mentem profanam et contumacem idololatriae tum
induluisse. Nec irrita fuit Ionae oratio itidem paedagogi-
ca, quae Niniuitarum animos tantopere commouit, vt
non idolis, sed vero Deo, sacra facerent, holocaustisque,
pie oblatis et reuerenter, propitium sibi redderent Nu-
men, ne interitum acceleraret.

§. XXII.

Neque vero tantum Prophetae et Apostoli, sed et
ipsa natura religionis, et notitia Dei naturalis, hac via re-
uelationem quandam inuestigare, ex eaque verum Deum
et legitimum cultum eius plenius cognoscere iubent. Nam,
vt ex vna parte Dei iustitia et potentia, naturae lumine co-
gnita, peccata, contra leges diuinas admiffa, poenas me-
reri atque incurrere docet, ita, ex altera parte, bonitas
Dei homines dubitare non finit, quin modum aliquem
peccata expiandi, seque placandi, quem natura ignorat,
singulari quadam reuelatione manifestauerit. Hinc adeo,
cultissimos quosque populos reuelationem aliquam, vt
religionis suae fundamentum, iactasse, animo aduertas,
quod euidentissimo indicio est, illos et religionis natu-
ralis imperfectionem, seu insufficientiam, et reuelatio-
nis cuiusdam diuinae specialis necessitatem, ex natura
ipsa cognouisse. Ne vero hominum fraudulentorum

commenta, pro reuelationibus diuinis venditata, nobis imponant, sed a vera reuelatione caute discernantur, huius certa quaedam signa et criteria, ab eadem recta ratione suppeditata, diligenter consideranda sunt. Nam, quae Deus ad salutem hominum reuelauit, ea non sunt indigna maiestate Dei. Quamuis hanc thesia non semel impugnantur aduersarii, Pagani, Muhammedani, Athei, eorumque patroni, opinati, tradere scripturam sacram incredibilia, ridicula, monstrosa, obscena, iniusta, contradictiones, errores historicos et physicos, Antropomorphismum, et Manichaeismum, conceptamque esse genere scribendi Numine indigno, has tamen friuolas exceptiones, post Hunnium, Botfaccum, Mor-naeum, Huetium, Maium, Abbadium, explosit D. V. E. Loescherus. Perfectam porro expiandi rationem do-

in Praenot.
Theol. p. 217.
seqq.

Theologumen-
orum C. VI.

cet. Hoc vero religionis centrum esse debet, quod non, nisi ex reuelatione, patet. Ergo hoc criterium maxime postulat methodum paedagogicam. Ratio enim nec inuestigare potest, quod omnino Deus, quem offensus esse intelligit, placari possit, propter immensitatem et sublimitatem, nec, quomodo placatio illa sit ingredienda, animusque religiosus atque solidis vinculis cum Deo copulandus. Amyraldum vero, naturalem Dei placationem commentum, bene confutauit Owenus.

§. XXIII.

Cum igitur methodi reliquae solis principiis naturali-
bus nitantur, haec vero placandi viam inuenire non pos-
sint, imperfectae sunt illae ad euincendam veritatem reli-
gionis Christianae, perfectissima autem paedagogica, quia,
ad scripturam sacram ducendo, sanctissima piacula proponit.

§. XXIV.

Discernit eadem methodus paedagogica porro *κρίσις*
veri-

9.
22
21
20
1
6
1
10
31
32
12

veritatis externa et interna. Externa vocamus, quae dantur extra scripturam sacram; interna, quae ex ipsis sacris litteris petuntur, quae duo confundenda non sunt. Sic ex celebritate miraculorum, ex constantia martyrum, ex propagatione mirabili et conseruatione, ex antiquitate, ex testimonio aliorum communi, concludimus veritatem religionis, vt supra diximus, quae non manifeste et apodictice probant, interim tamen sunt inducentia, quibus ad scripturam sacram inuitamur. Enim vero ad conuictionem Athei plus requiritur, quam haec externa. Succedunt ergo interna criteria, quae Spiritus Sanctus suppeditat in verbo suo, his enim perfecte de veritate homines conuinci posse, extra dubium positum est.


§. XXV.


Sic adeo haec methodus effectus naturae et gratiae rite internoscit, et suis quoque finibus circumscribit. Neque enim existimandum est, fidem illam, qua Christiani aut filii Dei censentur, argumentis aut ratiocinationibus methodi cuiusdam naturalis comparari. Nam, quicquid vtilitatis ex iis sperare aut promittere nobis possumus, partim in dubitationum, quae contra fundamenta religionis Christianae infirmioribus vel inuitis suboriuntur, vel a profanis ingeniis data opera excogitantur, solutione, partim in praeparatione, siue animi inductione, ad quaerendam, agnoscendamque, reuelationem diuinam consistit. Vt vero *πληροφορίαν* fidei, vt *ὑπόστασιν* illam καὶ ἐλεγχον, Apostolo celebratam, habeamus, non diffusa illa per naturam, atque ab homine animaduersa, veritas efficit, sed solius gratiae diuinae opus est, Spiritui Sancto, per ipsum verbum reuelatum in nobis efficaci, tribuendum. Huius praedicatio fidem operatur, haec sola ad Christum, salutis inceptorem, et perfectorem vnicum, spiritualium rerum ignaros, et in tenebris velut palpantes, adducit. Qua in sententia nos confirmat irrita et vana in conuersione gentilium adhibita a Iesuitis ope-

ra, vt de la Crozenotauit, de quibus commemorat, multas pro-
uincias, a gentilium superstitione purgatas, in Muhammeda-
nismum esse prolapsas, quia, more pontificio, scriptura sacra,
duce et luce nostra, priuati, nouam reuelationem, vtut falsam,
arripiebant.

His variis methodis demonstrandi religionis Christianae
veritatem recensitis, ad TE, VIR MAGNIFICE atque
REVERENDISSIME, mea iam dirigitur oratio, qui ho-
dierna luce Iubilaeum non solum Ministeriale, sed simul etiam
Superintendentale, omnibus bonis applaudentibus, celebras.
Ex quo enim et Ministri Ecclesiastici et Superintendentis mu-
nus ornare coepisti, quinquaginta anni nunc praeterlapsi sunt,
quibus egregiam prorsus et indefessam operam in eo colloca-
sti, vt veritatem religionis Christianae non solum scriptis, ser-
monibusque, contra aduersarios, tum in Ecclesia nostra, tum
extra eam, viuentes, solidissime demonstrares, sed etiam lecto-
rum atque auditorum TVORVM animis inculcares. Quan-
ta ex his, aliisque, quae prostant, eruditionis, pietatisque,
TVAE documentis in Ecclesiam nostram redundarint emo-
lumenta, iam mihi enarranda non sumam, quum horum enar-
ratio non vnicam paginam, sed integrum volumen, desideret.
Hoc solummodo agam, vt piis votis eorum, qui hunc ipsum
diem TIBI faustum, felicemque, esse cupiunt, mea, meorum-
que Pastorum, vota adiungam, Deum precans immortalem, vt
senectuti TVAE venerandae animi vigorem, corporis-
que vires, nunquam deesse sinat, fidei TVAE, per quin-
quaginta annos cognitae atque perspectae, ecclesiarum,
scholarumque in Saxonia nostra curam in fera vsque
tempora committat, TVOque patrocinio nos, nomen
TVVM perpetuo veneraturos, per plurimos adhuc
annos frui iubeat.











✠]: [27]: [✠

aciliorum editionibus ab HARDVINO & Co.
 (b). Hic capitulo XVII. legas, *ipsum Do-*
siphorem sanguinem purissimum in communicantium
manibus introduci, manibus dentibusque concidi &c.
 addatur, accidentia saltem concidi & dividi,
 uti indiviso, quæ manifestissima contradictio
 versionem Gallicam ARNALDI (c). Non
 hic de autoritate hujus Concilii & de Dosi-
 phorese plura dicamus, non enim institui-
 tis hoc opus foret. Videantur, qui controver-
 sam reciprocavere RENAUDOTIVS (d) &
 (e), qui & ipse hoc Concilium exhibet, sed
 to C. XVII. additamento (f).

n de hoc Concilio diff. scripsit TH. ITTIGIVS,
 orade dissertationum dissertationi de hæresi archie-
 pifici subjecta numero V. p. 412. sqq. habetur.

em editionem sub nomine *Enchiridii* dedit Dosi-
 phoresti in Walachiâ A. 1690. impressam.

perpetuité de la foy T. III. L. VIII. Ch. 15. f. 510.

la défense de la perpetuité, tùm T. IV. de la per-
 1. Ch. 6.

Amstelodami A. 1718. 4. les lettres anecdotes de
 ar & le Concile de Jerusalem tenu contre luy.
 Concilii acta, originalia illa, ex Bibliothecâ Re-
 si nactus erat AYMONTIVS.

. T. XXI. f. 1750. 1751. ed. Ven. & AYMONTIVM

D 2

EPILO-

23

24

2

26

30

31

32